UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1750

Caput VI. Quædam circa impedimenta Matrimonii ex Theologorum disputationibus, atque ex Jure Canonico acervatim breviterque afferuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-83714

Visual Library

CAPUT VI.

Quædam circa impedimenta Matrimonii ex Theologorum disputationibus, atque ex Jure Canonico acervatim breviterque afferuntur.

SUMMARIUM.

1. Impedimenta alia dirimentia, alia impedientia.
2. Impedimenta dirimentia quæ?
3. De impedimento Erroris.
4. Error Substantiæ.
5. Error fortunæ, & qualitatis.
6. Error, quo putant contrahentes se habere impedimentum, an obsit valori Matrimonii.
7. De consensu conditionato.
8. De impedimento Conditionis.
9. De Matrimonio Servorum.
10. An inter Christianos matrimonia Servorum sint valida?
11. Quando contrahatur impedimentum conditionis.
12. An proles sit libera, nata ex uno parente servo.
13. De impedimento Voti.
14. Vota simplicia solum impediunt matrimonium.
15. Discrimen inter votum simplex & solemne.
16. An votum solemne dirimat matrimonium jure Ecclesiastico?
17. Vel ex sui natura.
18. Id ulterius deducitur.
19. De impedimento cognationis varia notanda.
20. Quomodo distinguantur gradus?
21. Jure Ecclesiastico varii gradus matrimonium dirimebant.
22. Qui gradus Jure naturali dirimant matrimonium.
23. De cognatione legali.
24. In cognatione legali an etiam extendenda linea recta, & lateralis.
25. De cognatione spirituali.
26. De impedimento criminis.
27. De impedimento disparis cultus.
28. Matrimonium fidelis cum infideli erat semper prohibitum.
29. Nunc autem est omnino nullum.
30. De impedimento violentiæ, seu coactionis.
31. Quid de metu?
32. Alia de coactione.
33. De impedimento Ordinis, ligaminis, & honestatis.
34. De impedimento affinitatis.
35. Affinitas habet gradus suos, ut consanguinitas.
36. Ex quali affinitate privetur vir jure petendi debitum?
37. De impedimento impotentiæ.
38. Quid si matrimonio superveniat?
39. De maleficio impediente matrimonium.
40. De impedimento Raptus.
41. De impedimentis impedientibus.

1. Impedimenta alia dirimentia, alia impedientia.

ETsi de impedimentis matrimonii singillatim agere hujus instituti nostri non sit, quod libri isti jam ad finem perducti comprehendere, & explicare non valeant quodlibet moralis Theologiæ difficillimum amplissimumque argumentum: quoniam tamen temperata saltim de iisdem impedimentis tractatio ad intelligenda ea, quæ diximus de matrimoniali contractu, utilis est admodum ac necessaria; eamdem capiti huic sexto inseremus, contractam quidem, sed Theologiæ, Jurisque canonici munimentis firmatam. Itaque matrimonii impedimenta alia *dirimentia*, alia vero *impedientia* duntaxat dicuntur: quorum illa faciunt, ut matrimonium contrahi nequeat, & si contrahatur, nullum irritumque censeatur: hæc autem conjugium quidem non dissolvunt, neque irritum reddunt; sed impediunt tamen, atque efficiunt, ne inculpate & sine crimine celebretur. Impedimenta autem primi generis sunt quatuordecim, quæ & comprehenduntur pervulgatis hisce versibus,

2. Impedimenta dirimentia quæ?

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De his igitur dicam modo, duo tantum, quæ dissertationem exigunt peculiarem, rejiciens ad capita proximiora, in quibus agam de clandestinis conjugiis, & de matrimoniis hæreticorum.

DE

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

3. De impedimento erriores.

Error, quemadmodum in Decreto legitur XXIX. q. 1. *alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, & est pauper. Error conditionis, quando putatur esse liber, & servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est.* Hæc Gratianus. Error ergo personæ & conditionis nullum reddit conjugii consensum, eo quod spectet ad ea, quæ pertinent ad matrimonii substantiam: persona quidem, quoniam illius corpus est, quod traditur in alterius conjugis potestatem; servilis autem conditio, quia eamdem potestatem, hujusque usum liberrimum impedit. Ita si quis paciscatur se Marcello venditurum agrum, aut empturum a fabro aurario laminam auream, alius autem Marcellum se esse simulans agri possessionem acquireret, vel aurifex pro auro venderet æs cyprium sive aurichalcum; illegitima esset possessio, & injusta venditio, propterea quod neque cum hac persona, neque de hac materia contrahens assensum præbuit, & fraude ab illo extorquetur, quod nec animo cogitavit. Ita dicendum est de contractu matrimoniali, ut constat ex cap. *Tua nos*, de Sponsal. 26. Quum vero consensus jure naturæ requiratur ad matrimonium, ad consensum vero actus humanus præcognitus, liber, & voluntarius; constat hoc impedimentum reddere matrimonium nullum ipso jure naturæ. Quod autem solet a nonnullis opponi aut de Jacob qui errore deceptus pro Rachele in conjugem accepit Liam, aut de Isaac qui pro Esau eidem Jacobo impendit benedictionem, aut de sacramentis aliis, quæ rite conferuntur, quamvis cui administrentur sacer minister ignoret; id ea quæ modo dicta sunt non enervat. Etenim quod ad conjugium Liæ pertinet: ratum istud fuit, quando illam Jacob primogenitarum consuetudine inspecta, quam deceptus compresserat, sciens ac lubens maritali affectu complexus est: quantum pertinet ad benedictionem Isaac; res fuit plena mysterii, suumque effectum fortita est primum ex Dei intentioe, deinde ex animo ipsius Isaac, qui postmodum Gen. XXVII. 34. confirmavit benedictionem ipsam datam Jacobo: & quantum spectat ad sacramenta reliqua; hæc non sunt contractus, nec aliud in ministro requirunt, quam intentionem faciendi quicquid facit Ecclesia. Quæ igitur *de errore personæ & conditionis* dicta sunt nuper, nil patiuntur difficultatis, etsi de conditione iterum sit agendum.

4. Error substantiæ.

At secus *de errore fortunæ, & qualitatis* asserendum est; quum enim error iste directe non spectat ad contractus matrimonialis substantiam, sed ad ea tantum, quæ adititia sunt atque accessoria; stat cum tali errore vis & robur contractus, ideoque hinc firmitas connubiorum non evervatur. Si quis ergo ducat mulierem pauperem, ignobilem, & corruptam quoque, viroque subactam, quam affluentem divitiis, præclaro genere ortam, & mares non expertam putabat; is adhuc conjugii vinculo plerumque constringitur. Dixi autem *plerumque*; enimvero si non *absolute* vir in feminam, aut femina in virum consentiat, sed conditione apposita, *dummodo hæc fortunæ bona, aut hæ qualitates personæ interfint*; tunc error qualitatis transit in errorem personæ, eo quod assensus non feratur in virum hunc, aut in hanc mulierem utcunque, sed in virum, aut mulierem, hujusmodi qualitatibus præditum, his prærogativis ornatam. Nihilo tamen minus si de qualitate ac fortuna in desponsatione pertractaretur, in conjugio autem ineundo absolute præstaretur consensus; ut recte adnotarunt Navarrus cap. 22. n. 32. Poncius lib. 4. cap. 23. Sylvius in q. 51. Supplem. aliique Theologi præstantissimi, foret ratum legitimumque connubium; quoniam error qualitatis non afficeret *directe* personam, quæ nulla conditione adjecta reciperetur in individuum communis vitæ consortium.

5. Error fortunæ, & qualitatis.

Quid vero si in contrahendo error facti, & scientia juris interfit, ideft, si contrahentes falso arbitrantes ligari se impedimento aliquo dirimente, E. G. consanguinitatis, sive affinitatis, quod tamen nullum reipsa sit, ineant connubium, nec ignorent hoc propter impedimentum illud esse irritum? Non officere eo in casu errorem, quin ratum sit matrimonium, censet, & variis argumentis probare nititur lib. 2. disp. 33. Thomas Sanchez. At facile argumenta illa evertuntur, si animadvertamus contrahentium consensum, cum sit actus voluntatis utentis deliberatione sua, ac libertate, pendere a judicio mentis; ideoque si mens non judicet posse firmari conjugia, neque hæc firmari posse

6. Error, quo putant contrahentes se habere impedimentum, an obsit valori Matrimonii.

sunt deliberato legitimoque consensu. Neque enim ad rem facit quod eo loci ait Sanchez, hæreticum baptizare, quamquam baptismum censeat esse ritum superstitiosum, & omni effectu carentem; siquidem hinc non sequitur, nequaquam posse hæreticum illum habere intentionem faciendi quod in Ecclesia Christi creditur sacrum & religiosum: quæ sola intentio, ut dictum est alibi, necessaria est in ministro sacramentorum. Valeret nihilo tamen minus cum illo errore facti conjugium, si contrahentes conditionem illam apponerent, *Si possumus, atque impedimentum istud non officit*; propterea quod consensus conditionatus firmitatem habet suam, quotiescunque ipsa conditio adimpletur. Vide lib. IV. de Matrim. cap. 23. præstantissimum Augustinensem Theologum Basilium Poncium.

7. De consensu conditionato.

Et quoniam matrimonium, seu consensum *conditionatum* commemoravi; non abs re erit ad memoriam lectorem revocare quid de hoc scribant moralis Theologiæ Tractatores. Docent hi cum S. Thoma q. 47. art. 5. ratum esse connubium si conditio sit *de præterito*, vel *de præsenti*, sit in exemplo, si vir mulierem ducat hac conditione, *Si dives es, si nobilis, si virgo*; dummodo puella his conditionibus prædita sit, quoniam statim dominium corporis sui alter in alterum transfert, neque amborum consensus aliqua ratione suspenditur. At si conditio sit de futuro, E. G. *Tecum contrabo, si pater assentiatur, si dotem promittat*; contractus nullam ante conditionem extantem vim habet: unde Bonifacius VIII. in Sexto cap. unico, de Sponsalibus, definit quod si ante conditionis eventum vir cum alia muliere *per verba de præsenti* contraxerit, cum hac secunda remanere debeat, & nulla hinc oriatur publicæ honestatis justitia. Insuper si conditio sit *de impossibili*, aut *de re turpi*, E. G. *Si assentiatur patur defunctus, si paterna bona jubripias, si occidas fratrem*, quæ conditiones substantiæ matrimonii non adversantur, jure canonico *pro non adjectis haberi debent*; ut constat ex cap. *Si conditiones*, de Condit. appositis: quamquam si contrahentes vere in animo statuant se nolle in conjugium assentiri iisdem conditionibus non extantibus; in interiori conscientiæ foro defectu consensus matrimonium sit nullum, ut docent unanimi sensu Theologi, ipsaque consensus ratio demonstrat. Si autem inserantur conditiones contra substantiam conjugii, V. G. si alter dicat alteri, *Contrabo tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas*; definitione Gregorii IX. præcitato capitulo, *Si conditiones*, matrimonialis contractus caret effectu. Eadem habentur cap. *Solet*, XXXII. q. 2. n. 6. & apud Augustinum de Bono conjugali cap. 5. Illæ autem conditiones censendæ sunt adversari *substantiæ* matrimonii, quæ repugnant tribus ejusdem matrimonii bonis enumeratis cap. 3. scilicet, *proli, fidei, & sacramento*; eo quod conjuges sibi invicem tradant corporis potestatem ad liberorum procreationem, nequeant violare conjugalem fidem sese alteri commiscendo, & nexu arctissimo atque indissolubili copulentur.

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

8. De impedimento Conditionis.

Conditio, quæ matrimonium dirimit, non est pactio certam legem in se continens, de qua nuper dicebamus; sed est status servitutis quam alter contrahentium ignoret, ut dixi superius agens de errore personæ. Nunc ergo de *conditione* hoc sensu accepta sermonem instituens præmitto, olim civili jure conjugia servorum fuisse nulla, tum apud Romanos, ut constat ex libro XXIII. Digestorum tit. 2. tum apud Longobardos lib. II. tit. 12. lege 10. necnon apud Gallos Lege Salica, tit. 14. §. 2. Immo nec inter liberam & servum Romano jure nuptiæ subsistebant; nam libera, quæ post trinam admonitionem sibi factam a Decemviris ab homine servilis conditionis non se subduxisset, cogebatur una cum illo venire in domini potestatem. Libertinam quoque, ideest, e servitute manumissam lege Julia & Papia ducere prohibebantur Senatores eorumque posteri, itemque Senatoris filiæ libertos, nisi forte ob corporis quæstum, vel artem ludicram fœdassent generis sui claritatem. Alicubi tamen serviles nuptiæ permittebantur, ajebatque prologo in *Casinam* M. Accius Plautus,

9. De matrimonio Servorum.

Quæso, hercle, quid istuc est? serviles nuptiæ?

Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?

Novom attulerunt, quod sit nusquam gentium.

At

At ego ajo hoc fieri in Græcia, & Carthagini,
Et hic in nostra terra, in Apulia.

10. An inter Christianos matrimonia servorum sint valida?

Inter Christianos autem, quamvis hi servilis sint conditionis, connubia prohiberi non debent, ideoque sunt rata, quamquam invitis & contradicentibus dominis contracta fuerint. Ita definitur cap. *Dignum est*, de Conjugio servorum, n. 1. & XXIX. q. 2. n. 8. Ratio apertissima est, quoniam *in Christo Jesu nec Judæus est, nec Græcus, nec servus, nec liber, nobisque unus est pater*, prout habetur eadem q. 2. cap. *Omnibus*. Idcirco Justinianus an. 524. abrogans antiquas Romanorum leges l. *Si quis*, XVI. Cod. declaravit legitimum fore connubium, *Si quis ancillam suam libertate donaverit, eamque sibi sociaverit in matrimonium.* Pipinus item Gallorum Rex, & Concilium Vermerienſe, seu potius Compendiensis Synodus an. 756. statuit esse ratum verumque conjugium, si femina ingenua acceperit servum non ignorans quod servus esset. In Synodo quoque Triburiensi apud Burchardum lib. IX. cap. 75. statutum fuit non posse solvi conjugium, si ingenuus qui ingenuam duxerat occasione divortii seipsum alicujus domini servum fecerit. Atque in Synodo Cabilonensi ann. 813. canone 30. definitum fuit, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi illi diversos dominos habeant, *sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis*, dummodo conjunctio fuerit legalis, & voluntas dominorum accesserit. Atque, ut dixi, hoc etiam quod postremo dictum est de voluntate dominorum, nullam modo vim habet ex præcitato cap. *Dictum est*, & propter rationem ibidem insertam. Quare si quis objiceret, dicens laudato Cabilonensi canone, immo & 40. Sancti Basilii ad Amphilochium, irritas declarari nuptias servorum præter domini sententiam contractas; recte illi responderemus abrogatam nunc esse pristinam illam consuetudinem, quæ Christianæ libertati adversabatur, illamque ab Ecclesia fuisse aliquandiu toleratam, ne servi initi conjugii prætextu ab exhibendis debitæ servitutis officiis cenſerentur immunes. Quare etiamnum, si servi matrimonium contrahant, tenentur dominis suis obtemperare, non autem ab invicem separari; quoniam conjugii vinculum jure naturali firmatur, servitus autem inducta est jure humano; nec servus tenetur ad cedendum iis, quæ sunt proprii juris, sed tantum ad obsequia illa impendenda, quæ exigit jus civile. Quare si femina sit serva domini in provincia commorantis, & vir servus alterius habitantis in alia provincia, existimat Auctor Glossæ in Decretum, XXIX. q. 2. cap. ult. aut compellendum esse unum dominorum, ut servum suum vendat alteri, aut unum servorum redimendum esse ab Ecclesia.

11. Quando contrahatur impedimentum conditionis.

Quum hæc omnia locum habeant in matrimoniis, quæ scienter & libere contrahuntur a servis; restat, ut impedimentum *conditionis* tunc intercedat, quando liber ignoranter contraxit cum ancilla, & ex quo ancillam esse cognovit, nunquam in matrimonium consensit. Atque hoc est, quod definitur cap. *Dignum est*, & *Ad nostram*, De conjug. serv. n. 1. & 4. Idem statuitur cap. *Si quis ingenuus*, XXXIX. q. 2. n. 4. Hujus impedimenti ratio est, quoniam error conditionis versatur circa rem spectantem ad matrimonii substantiam; quia libere contrahens putat posse alterum conjugem tradere sibi plenam corporis sui potestatem, quam ob conditionem servilem tradere nequit: ac præterea officiis, negotiisque in obsequium domini exercendis impediri potest a filiis enutriendis atque instruendis, necnon ab uxoris individua consuetudine, & contubernio. Quoniam tamen servilis conditio potest consistere cum libero contrahentium assensu, neque prorsus impossibilem reddit conjugii actum; si ingenuus ancillam ducat, quam talem esse sciebat, & similiter ingenua servum, sciens quod servus esset, ut dictum est paullo supra, ratum & legitimum erit connubium, prout habetur capp. *Si quis ingenuus*, &, *Si femina*, XXIX. q. 2. ac rursus si liber cum ancilla ignoranter contraxit, & postquam audivit ancillam esse, carnaliter illam cognovit, tanquam uxorem eam retinere debet maritali affectione, juxta cap. *Proposuit*, De conjugio serv. n. 2. Neque his obstat cap. *Ancillam*, XXXII. q. 2. n. 11. ubi Leo Magnus ancillam ab uxore ingenua secernit: ibi namque, ut constat ex titulo, sermo est *de ancilla fornicaria*, non vero ducta in uxorem.

12. An proles sit libera nata ex uno parente servo?

Hic nonnulli quærunt, num libera sit proles, quæ nascitur ex uno tantum parente conditionis servilis; ac respondent Theologi cum S. Thoma Q. LII. Supplem. art. 4. quod *partus sequitur uterum*, ideſt, filius est ejusdem

dem conditionis, ac erat mater, quando filium concepit, aut peperit: quod utique consentaneum est Juri civili l. 19. ff. *De statu hom.* & l. 7. c. *De rei vendit.* imo & Juri canonico, cap. *Liberi*, XXXII. q. 4. n. 15. & cap. *Indecens*, De natis ex libero ventre. Nihilominus hac in re servandam esse provinciarum consuetudinem decrevit Urbanus III. cap. *Licet*, De conjugio serv. n. 3.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

13. De impedimento Voti.

Votum, cujus nomine Theologi intelligunt deliberatam promissionem factam Deo de meliori bono, hoc in loco est illud, quo aliquis proponit ac vovet cælibem vitam agere, oblatione corporis sui Deo facta. Est autem votum duplex, id est *simplex*, & *solemne*. Votum solemne, quantum ad dirimendum matrimonium postea contractum, illud est, *quod solemnizatum fuit per susceptionem sacri Ordinis: aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifestius sunt emissa, tanto propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur: non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* Atque hæc vota sunt, quæ in his controversiis appellantur *simplicia*.

14. Vota simplicia solum impediunt matrimonium

Itaque vota *simplicia* matrimonium non dirimunt, sed impediunt tantumodo, prout constat ex præcitatis verbis, quæ sunt Bonifacii VIII. in Sexto, *De voto*, & *voti redempt.* necnon ex capp. *Meminimus*, &, *Rursus quidam*, Extra, Qui clerici, vel voventes: itemque dist. XXVII. 3. cap. *Si vir simplex votum*: quamquam in Pœnit. Theodori, unde capitulum illud depromptum est, vox *simplex* desideretur. Votum autem *solemne* esse impedimentum dirimens matrimonium, constat ex Decreto, capp. *Neque viduas. Quæ Christo, Viduas, quæ spontanea. Si quis sacro*, aliisque, XXVII. quæst. 1. Ex decretalibus itidem, capp. *Meminimus. Consuluit. Rursus quidam. Insinuante*, lib. IV. tit. 6. similiter ex Extravaganti, *Antiquæ*, Joan. XXII. tit. 6. & demum ex canone 9. sess. 14. Synodi Tridentini. Quod si opponas, undenam inter simplex, & solemne votum discrepantia ipsa intercedat, quum utrumque sit promissio Deo facta, ac simplex etiam irrita reddat sponsalia postea ineunda; primo haud incongrue respondebimus, id nobis manifestum esse Ecclesiasticis definitionibus: deinde verò dicemus, ita comparari ad invicem votum simplex & solemne, sicuti sponsalia & matrimonium *de præsenti*, adeo, ut in voto simplici intelligatur quædam servandæ virginitatis promissio; in solemni autem consecratio quædam, suique corporis traditio facta cælesti sponso, atque spiritualium nuptiarum perfectio. Quapropter sicuti sponsalia *de futuro* solvuntur per sequentia *de præsenti*, nisi priora per carnalem copulam trasierint in matrimonium, ut habetur cap. *Veniens ad nos*, & cap. *Is, qui fidem*, De Sponsal. & Matr. ita vota simplicia, quæ sunt promissio tantum, & spiritualia quædam sponsalia, dirimuntur per contractum matrimonialem *de præsenti*, in quo præter promissionem adest dominii translatio, corporisque in alienam potestatem traditio. Quod de voto solemni dictum est, valet quoque de votis simplicibus, quæ post biennium emittunt Novitii Societatis Jesu, ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, §. 18. eo quod illi simplicibus votis emissis veri sint religiosi, ac tales ibidem a Gregorio declarentur.

15. Discrimen inter votum simplex & solemne.

16. An votum solemne dirimat matrimonium jure Ecclesiastico?

Haud levis inter Theologos movetur quæstio, num solemne religionis votum dirimat matriomonium *ex sui natura*, an jure duntaxat Ecclesiastico. Nostrates quidam cum Basilio Poncio lib. VII. cap. IV. & seqq. Vanroy cap. IV. q. 4. & Gavardi q. 3. art. 2. docent solemni voto dirimi matrimonium jure Ecclesiastico, non autem jure naturali, aut divino: eamdemque sententiam propugnant Theologi alii complures, necnon præstantissimi Jurisconsulti, inter quos Eman. Gonzalez in IV. Decret. tit. 6. cap. 4. & Zegerus Van-Espen p. 2. J. C. tit. 13. cap. 4. n. 3. Ac primùm constat solemnitatem voti *ex sola constitutione Ecclesiæ* fuisse inventam, quod & asserit loco præcitato Bonifacius VIII. Deinde illud discrimen inter votum solemne, & simplex, quorum unum, non alterum conjugia dirimat, primò indictum videtur can. 7. Concilii Romani celebrati anno 1139. sub Innocentio II. Præterea statuitur can. 16. Concilii Chalcedonensis, juxta versionem Isidori, & prout habetur in Decreto, XXVII. q. 1. n. 22. posse *fieri humanitatem* virgini & monacho, qui

qui postquam se Deo dedicaverunt, matrimonio jungantur. Alii autem priorum sæculorum canones hujusmodi matrimonia pœnitentiæ quidem, & interdum excomunicationi subjiciunt, sed nunquam irrita esse declarant. Insuper S. P. Augustinus de Bono viduit. c. 10. rejicit sententiam illorum, qui asserebant, *lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia:* quod & habetur cap. *Nuptiarum*, eadem q. n. 41.

17. Vel ex sui natura.

Existimant tamen alii votum solemne *ex sui natura* dirimere matrimonium: idque docent S. Thomas q. 53. Suppl. art. 2. S. Bonaventura, Major, Soto in IV. dist. 38. aliique Theologi præstantissimi: quod probant ex eo quod per hujusmodi solemne votum homo abdicaverit a se corporis sui potestatem, eamque tradiderit Deo: & ex quo votum simplex propter vim promissionis dirimat sponsalia, ideoque votum solemne ob prædictæ potestatis abdicationem, ac traditionem Deo factam, dissolvere quoque debeat ac dirimere matrimonium; atque id propter proportionem, quæ intercedit inter sponsalia & nuptias ex una parte, ex alia vero inter votum simplex atque solemne. Hæc aliaque plura argumenta collegit Sylvius in art. 2. Quæst. 53. Supplementi.

18. Id uiterius deducitur.

Ut ut res se habeat, arbitramur nunquam sanctimonialium, monachorumque conjugia rata fuisse; ideoque si nulla hæc sunt lege duntaxat Ecclesiastica, hanc legem fuisse longe vetustiorem, quam Poncius noster crediderit. Et quidem canone 16. & 19. Concilii Toletani primi celebrati Stilicone primum Consule, id est, an. 400. definitur *devotam*, quæ maritum acceperit, non admittendam ad pœnitentiam, neque ad comunionem, *nisi adhuc vivente viro caste vivere cœperit.* Innocentius I. in Epistola ad Victricium scripta an. 404. virginibus, quæ velatæ non fuerint, ait *aliquanto tempore si nupserint pœnitentiam agendam esse*; sed addens, *Quæ nondum sacro velamine tectæ*, demonstrat harum conjugiis non esse ulla ratione indulgendum. Hujus autem generis non solum innumeri extant canones, verum & leges Joviniani, Honorii, ac Theodosii adversus illos, qui matrimonium cum sacratis virginibus ausi fuerint attentare. Atque hos canones, legesque differt. 1. proœm. in 3. Vol. cap. 10. & in scholio ad canonem 16. Chalced. Christianus Lupus industriè collegit, & illustravit. Neque vero iis opponitur aut adductum ex Augustino testimonium, aut canon ille 16. Chalcedonensis. Nam S. Pater comode explicatur *de voto simplici;* quamquam locus difficillimus est, multorumque torquet ingenia, ut cit. Vol. 3. pag. 72. inquit Lupus: Chalcedonensis autem canon verè conjugia monachorum sacrarumque virginum declarat irrita, prout testantur Theodorus Balsamon, Arsenius monachus & Stephanus II. Romanus Pontifex pag. 64. ejusdem dissertationis ab eximio Lupo producti; atque facultatem duntaxat dat Episcopis τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας, *exercendæ in illos humanitatis*, absolvendo scilicet eos ab excomunicatione ob incestas nuptias contracta.

Ex priori sententia facilius intelligitur, quomodo summus Pontifex in voto solemni dispensare queat, nimirum, quia lege tantum Ecclesiastica tale votum dirimit matrimonium: sed nihilominus dispensare posset quamquam votum esset impedimentum dirimens natura sua: quemadmodum dispensare potest in matrimonio rato, non consummato, ut censent Theologi probatissimi.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

19. De Impedimento cognationis varia notanda.

Cognatio, de qua in præsenti, triplicis generis est, *naturalis*, *legalis*, *spiritualis*. Consanguinitas *naturalis* ab Ostiensi in Summa l. IV. de Consanguin. hac definitione explicatur: *Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, vel ascendentium carnali propagatione contractum;* eamdemque definitionem approbant Theologi omnes cum Divo Thoma in IV. dist. 40. q. 1. art. 1. *Stipes* autem, sive *radix*, vel *truncus* est persona illa, a qua consanguinei originem ducunt, aut in qua colligantur, ut respectu duorum filiorum pater, duorumque nepotum avus: constituuntque maritus & uxor, utpote *una caro*, ejusdem generationis origo, stipitem vel truncum unum. In consanguinitate Canonistæ ac Theologi gradus lineasque distinguunt: & gradum appellant majorem, aut minorem distantiam, qua consanguinei vel a comuni stipite, vel inter se dividuntur: lineam vero pro-

ductionem illam, & ordinatam consanguineorum collectionem, qua ab eodem stipite descendunt, atque ad eumdem referuntur. Atque est linea hujusmodi duplex, *recta* nempe, ac *transversa*, sive *collateralis*: & *recta* item ascendentium una, altera descendentium. *Linea recta* est collectio personarum, quarum una procreatur ab alia: quæ adinstar scalæ dicitur linea descendentium, si a stipite progrediamur ad posteros; atque ascendentium, si a posteris revertamur ad stipitem. *Transversa & collateralis linea* est, in qua unus non descendit ab altero, sed ab eodem stipite ambo, ita, ut ex latere sese mutuo respiciant: sic avus, pater, filius in linea recta constituuntur; fratres & sorores, patrueles, consobrini in transversa.

20. Quomodo distinguantur gradus?

Gradus consanguinitatis hac ratione Jure Canonico distinguuntur. Primum in linea recta tot gradibus unus ab alio distat, quot in eadem linea connumerantur personæ, una dempta, scilicet, secluso stipite: sic pater distat a filio gradu unico, & avus a nepote duobus. In linea collaterali, si æqualis ea sit, nimirum ex utroque latere sit a comuni stipite eadem distantia; tot computantur gradus, quot ab utroque latere sunt personæ, dempta itidem una, nimirum stipite; atque ita duo fratres, aut sorores uno gradu, illorum autem filii gradibus duobus ab invicem distant. At si linea collateralis inæqualis sit, id est ex uno laterum plures, ex altera pauciores personæ enumerentur; tot computandi sunt gradus, quot sunt personæ a latere magis distante, stipite pariter non recensito: utque ita frater & sororis filius secundo inter se distant gradu, filii autem consobrini vel patruelis, a consobrino vel patruele parentis sui gradu tertio. Hanc computandi gradus consanguinitatis rationem tradidit Zacharias Papa, seu potius Bonifacius Moguntinus an. 743. apud Magistrum Sent. in IV. dist. 40. & apud Gratianum cap. *Parentelæ*, XXXV. q. 4. n. 4. eamdemque probavit Alexander II. an. 1065. cap. *Ad Sedem Apostolicam*, ibidem n. 2. necnon an. 1234. Gregorius IX. cap. *Vir, qui a stipite*, De consanguin. & affin. finali. In jure autem civili, atque in ordine ad adeundam hæreditatem, in computatione graduum, non excluditur comunis stipes, ac duo fratres E. G. duobus gradibus distinguuntur, non autem uno.

21. Jure Ecclesiastico varii gradus matrimonium dirimebant.

Non una semper fuit in prohibendo consanguineorum conjugio Ecclesiæ Catholicæ praxis: fuerunt enim connubia aliquando circumscripta septimo gradu, ut constat ex can. 10. Concilii Aurelian. an. 538. ex Concilio Romano sub Nicolao II. an. 1065. aliisque Ecclesiasticis definitionibus, quæ habentur capp. *De affinitate. Nullum in utroque. Progeniem suam*, &c. XXXV. q. 2. Attamen S. Gregorius in Epistola 64. lib. XI. ad Augustinum Anglorum Episcopum resp. ad Interrogat. 6. indulsit, ut *tertia, vel quarta generatione* fideles jungerentur, ubi tamen multi codices habent, *in quarta vel quinta*, sicut & extat in cap. *Quædam lex*, apud Gratianum ibidem n. 20. Sed idem Gregorius epist. 17. lib. XIV. ad Felicem Messanensem Episcopum de indulto illo scripsit: *Quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed considerando ne Christianitatis bonum quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus.* Jam vero in Lateranensi Concilio sub Innoc. III. c. 50. prohibitio conjugii inter consanguineos ad quartum gradum coarctata fuit, quod & insertum fuit in IV. Decret. tit. 14. cap. *Non debet*, & confirmatum a Tridentino sess. XXIV. cap. 5.

22. Qui gradus jure naturali dirimant matrimonium?

Quæri solet, quinam consanguinitatis gradus jure naturali dirimat matrimonium: & quamquam varia sint hac in re placita Theologorum, videntur tamen nobis probabiliora esse quæ sequuntur. Principio in primo gradu lineæ rectæ, id est, inter patrem & filiam, aut inter filium, & matrem sunt nuptiæ ipso naturæ jure prohibitæ: id enim comonstrat comunis hominum persuasio, reverentia parentibus debita, necnon exempla ferarum, quarum plerasque a lasciviendo in parentes abhorrere scribunt Aristoteles lib. 9. Hist. animal. cap. 47. & Varro lib. 2. de Re rustica cap. 17. Et quamvis nonnulli Persarum in tam enorme scelus prolapsi fuerint, ut matribus quoque admixti sint; id tamen, tanquam probrorum omnium maximum Tertullianus in Apol. cap. 9. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Clemens Alex. in 1. Prædagog. cap. 8. aliique plurimi detestantur. Hinc Ambrosius ep. 28. ait: *Ne pater filiam suam accipiat uxorem interdictum est jure naturæ, interdictum lege scripta in cordibus singulorum.* Civili autem lege non possunt nuptiæ consistere inter eas personas, *quæ in numero pa-*

parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque ad infinitum; ut habetur l. *Nuptiæ*, ff. De ritu nuptiarum, n. 53. Deinde etiam in primo gradu lineæ transversæ, id est, inter fratres atque sorores, videtur nobis matrimonium adversari juri naturæ, tametsi oppositum sentiant Thomas Sanchez lib. 7. disp. 52. necnon Poncius l. 7. c. 32. Etenim S. P. Augustinus lib. XV. de Civ. Dei c. 16. perversas appellat ethnicorum leges, *quæ permittunt fraterna conjugia;* uti fecerunt Athenienses, qui probarunt aliquando connubia fratrum, ut inquit in Octavio Minutius: quamquam lege Solonis fas erat ducere *germanas uterinas* tantummodo, at non eodem patre progenitas. Romani vero nunquam morem Athenienium recepere. Videtur Tridentina Synodus hoc juris naturæ impedimentum agnovisse; nam definiens nunquam *in secundo gradu* dispensandum esse, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam supponit, *in primo gradu* nunquam omnino, & quacunque causa impellente dispensationem concedi. Apparet demum in aliis gradibus nullum jure naturæ impedimentum adinveniri: nam, ut habetur cap. *Gaudemus*, De divortiis, n. 8. Innocentius Tertius definivit paganos, qui uxores duxerunt *in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas*, post conversionem suam posse *insimul remanere*, eo quod in præmissis gradibus a paganis, qui constitutionibus canonicis non arctantur, *matrimonium licite sit contractum.* In quibus autem gradibus Jure divino prohibeantur connubia, constat ex cap. XVIII. Levitici, atque ex versibus, qui apud nonnullos Interpretes leguntur in Commentariis ejusdem capitis:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris
& uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxorisque soror, privigni nata, nurusque,
Atque soror patris conjungi Lege vetantur.

23. De Cognatione legali.

Cognatio Legalis illa est, quæ oritur ex adoptione, scilicet, assumptione personæ alienæ in filium, aut in nepotem proprium, facta ab iis, qui filiis aut nepotibus carent. Iis autem adoptare fas est, qui filios naturaliter procreare possunt, non autem frigidis & naturaliter impotentibus, prout definitur lege civili 2. ff. *de adoptione.* Qui tamen ex accidenti duntaxat impotentes sunt, ut spadones, & sacris Ordinibus initiati, extraneos filios adoptare possunt, modo attingant vicesimum quintum annum, & valeant de propriis bonis disponere. Feminis vero ex peculiari tantùm Principis privilegio adoptare fas est. Duplex autem adoptionis genus distinguitur, *arrogationis*, scilicet, & *simplicis adoptionis.* Arrogatio, quæ ita dicitur, quoniam adoptatus *rogatur* an habere velit adoptantem in patrem, & adoptans item interrogatur an velit habere arrogandum in filium, requirit principis auctoritatem; ac talis est roboris, ut adoptatus transeat in potestatem adoptantis, & constituatur illius hæres, ac si naturalis esset filius, adeo, ut etiamsi pater illum exhæredaverit, teneatur ei quartam bonorum suorum partem relinquere, juxta Juris civilis Institut. lib. 1. tit. XI. *Simplex* autem *adoptio* est, quæ fit absque Principis rescripto, aut sine imperio Magistratus, & per quam adoptatus nec transit in potestatem adoptantis, nec nanciscitur jus ad hæreditatem; quamvis *ab intestato* hæres sit adoptantis. Ex quibus constat filium alienum *arrogari* non posse, nisi sit sui juris, scilicet, aut emancipatus, aut naturali patre defuncto: quod non requiritur ad simplicem adoptionem. At de his omnes Jureconsulti. Existimamus solam propinquitatem, sive cognationem legalem ortam ex *arrogatione* dirimere matrimonium, ut docent Sylvester v. *Matrimonium*, n. 8. q. 8. Dominicus Soto dist. 42. q. 2. art. 2. Sanchez lib. 7. disp. 63. Ledesma, ac Sylvius in q. 57. Suppl. art. 2. aliique passim: quamquam non desunt auctores gravissimi, qui sentiunt matrimonium dirimi utraque adoptione.

24. In cognatione legali an etiam attendenda linea recta, & lateralis.

Attendendæ sunt autem, ut in cognatione naturali, ita in legali, duæ lineæ, *recta*, & *lateralis.* In linea recta ascendentium vel descendentium cognatio legalis impedit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum hujusque posteros usque ad quartum gradum, ut recte docent Estius dist. 42. §. 3. & Vanroy cap. 4. q. 9. quod & inferri potest ex dictis de Cognatione naturali: quamquam & hic Jus civile statuat impedimentum *in infinitum*, ut constat ex l. *Justas autem nuptias*, §. *Ergo non omnes*, lib. 1. Instit. tit. 10. Atque id valet etiam adoptatione soluta, & post emancipationem adoptati, non tantum inter adoptantem & adoptatum, verum etiam inter adoptantem & uxorem ad-

adoptati, sive inter adoptatum, atque uxorem adoptantis; vel quod mulier & vir tanquam *una persona* habeantur, ut supra diximus, vel ob *legalem affinitatem*, ut aliis placet: quod constat tam Jure civili l. *Adoptivus* 14. de Ritu nupt. quam Jure Canonico, cap. *Ita diligere*, XXX. q. 3. n. 1. ita, ut nec filius adoptivus, si emancipetur, possit ducere uxorem patris adoptivi, quæ novercæ suæ locum habuit, nec pater uxorem filii, quæ fuit prius nurus loco. In linea *transversa* est impedimentum inter filium adoptatum, & inter filiam naturalem adoptantis: sed adoptatione soluta, possunt inter illos nuptiæ consistere ex cap. *Si qua*, unico de cognat. legali. Et cap. *Per adoptionem*, XXX. q. 3. n. 6. Consentit & Jus civile l. 17. de Ritu nupt. sive lib. 23. Digestorum tit. 2. n. 17.

25. De cognatione spirituali.

Cognatio denique *spiritualis* illa est, quæ Jure Ecclesiastico oritur ex administratione & susceptione duorum sacramentorum, Baptismi & Confirmationis. De hoc impedimento plures quidem extant canones apud Gratianum, XXX. q. 1. & in IV. Decretalium tit. XI. Verum ut dixi libro XXXI. cap. ult. & libro XXXII. cap. 10. ex definitione Concilii Tridentini sess. XXIV. cap. 2. cognatio spiritualis in baptismo contrahitur tantum inter suspientes ac susceptum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique matrem ac patrem: & ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione derivat, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. Quare susceptores nullam inter se contrahunt cognationem; & si conjuges sint, suscipiantque prolem alterius, non impediuntur quin debitum conjugale invicem exigant: baptizatus item, aut confirmatus nullam cognationem contrahit cum suscipientium fratribus, sororibus, & consanguineis; nullamque baptizans aut confirmans cum susceptoribus.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

26. De impedimento criminis.

Crimen, quo matrimonium dirimitur, est adulterium, aut homicidium, machinatione facta in necem alterius conjugis, aut fide futuri matrimonii præmissa: atque hoc impedimentum antiquissima Ecclesiæ lege constitutum fuit, ut constat ex Concilio Meldensi an. 845. cap. 69. Pluribus autem modis impedimentum istud contrahitur. Primo, si vir ei, quam polluit adulterio, fidem dederit uxore sua vivente, quod illam hac demortua ducet in matrimonium, cap. *Propositum*, cap. *Super hoc*, cap. *Si quis uxore*, De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, necnon cap. *Laudabilem*, De convers. infidelium, & cap. *Si quis vivente*, XXXI. q. 1. n. 5. Secundo, si vir cum ea, quam adulterio vitiat, conspiraverit in necem conjugis, sive mortis machinatio adulterium præcesserit, sive etiam fuerit subsecuta, cap. *Significasti* & cap. *Veniens*, eodem tit. De eo, qui duxit, &c. Tertio, si occisio conjugis ex mutua conspiratione sequatur, etiamsi nullum antea, vel post accesserit adulterium; juxta præcit. cap. *Laudabilem*. Quarto, si adulter in mortem uxoris conspiraverit, sive fidem dederit, sive non, quod ea defuncta alteram esset ducturus, præcit. cap. *Super hoc*, & Concilii Lateran. III. p. 6. cap. 16. Advertendum tamen est, quod si homicidium alia de causa sequatur, V. G. si quis occidat feminæ alicujus maritum casu, aut rixa, non autem animo ineundi cum illa conjugii, nullum contrahitur criminis impedimentum, juxta cap. 1. De convers. infidel. regulamque ibidem insertam Concilii Triburiensis: ac pariter si quis mortua uxore contrahat cum ea, quam uxore ipsa vivente absque fidei datione cognoverat, tenet matrimonium, dumodo neuter in mortem defunctæ fuerit machinatus, cap. *Significasti*, lib. IV. Decret. tit. VIII. n. 6.

DE IMPEDIMENTO DISPARIS CULTUS.

27. De impedimento disparis cultus.

Disparitas cultus est, quando unus contrahentium initiatus est sacramento baptismatis, alter nequaquam. Hanc disparitatem cultus esse impedimentum matrimonii constitutum Ecclesiastica lege demonstratum est supra. Haud secus docent Patres, inter quos Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. IX. cujus verba relata sunt in canonem, *Cave Christiane*, XXVIII. q. 1. n. 15. Sunt autem in eadem Causa capitula hujus generis plura. Dixi hoc impedimentum *Jure Ecclesiastico* fuisse inductum, propterea quod neque naturali, neque divina lege nullum irritumque censetur. Non quidem *naturali*, quoniam conjugium fidelis cum infideli fini matrimonii & filiorum procreationi non adversatur: nec unquam legimus nulla fuisse conjugia, quæ ante legem scriptam, vel hac etiam lata, credentes cum Ethnicis inierunt,

inierunt, ut Joseph, Ismael, & Moyses cum mulieribus Aegyptiis, Esau cum Chananæis, Hester cum rege Persarum, Salomon cum alienigenis, Roboam cum Amonitide, ut mittam alia id genus connubia plurima. Lege quoque *divina* constat permanere fidelis cum infideli connubium, scribente Apostolo 1. Corinth. VII. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consensit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Hieronymus in Epist. ad Lætam agens de institutione filiæ ait, *consilium Apostoli illuc profecisse, ut radicis amaritudinem dulcedo fructuum compensaret, & viles virgulæ balsama pretiosa sudarent*: subjiciens, *Tu es nata non impari matrimonio, & de te & Toxotio meo Paula generata est.* Imparis illius conjugii fructus fuit tum filia sanctissima, tum infidelis parentis conversio. Ex conjugio pariter S. M. Monnicæ cum Patricio municipe Thagastensi a Christiana fide alieno prodiit Augustinus splendidissimum Ecclesiæ lumen, atque ex Monnicæ consuetudine viri salus. Idem, quod traditur ab Apostolo, definitur cap. *Si quis gentilis*, citata q. 1. n. 2. quod Gratianus tribuit Eutychiano Papæ, depromptum est autem ex Pœnitentiali Theodori. Accedit, quod ex definitione Innocentii I. relata ibidem cap. *Nunquid*, & exscripta ex litteris ad Eusebium & Episcopos Macedoniæ an. 414. filii suscepti ex ea, quæ ante baptismum fuit uxor, legitimi appellandi sunt, *non autem naturales vel spurii*, & defuncto patre habent cum ceteris filiis *herciscundæ hæreditatis* consortium.

28. Matrimonium fidelis cum infideli erat semper prohibitum.

Quamquam autem stet inter infideles conjugium, & si ante susceptionem baptismi contractum fuerit, persistat etiam altero tantum conjuge ad fidem conversо, si uterque simul permanere consentiat, ut docet Apostolus, explicatque Augustinus lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 13. & 14. nihilominus incongruum semper ac pernicioſum visum fuit, si fidelis infidelem mulierem duceret in uxorem, præsertim cum matrimonium in dispari cultu contractum non careat subversionis periculo, atque exercitio veræ religionis, concordiæ animorum, natorumque piæ educationi adversetur. Quapropter hujusmodi conjugia in veteri lege fuisse communiter prohibita, tametsi aliquando propter gentium conversionem, maximumque Hebraici populi commodum contigisse legantur, & repugnare etiam Apostolo, qui sexto capite secundæ ad Corinthios Epistolæ ait, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, docet, ut diximus, Tertullianus ad uxorem scribens, Ambrosius lib. 1. de Abraham, & adversus Jovinianum Hieronymus.

29. Denique omnino ut impedimentum declaratum sit.

Factum propterea est, ut ob incomoda, quæ nuper recensui, Ecclesia disparem cultum adnumeraverit ceteris matrimonii impedimentis: unde S. Thomas q. 59. Supplem. art. 1. inquit: *Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda; cum autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare: & ideo si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium. Et propter hoc disparitas cultus præcedens matrimonium impedit ne contrahi possit.* Adde quod Cyprianus de Lapsis, & S. Pater Augustinus de Fide & Op. cap. 19. ajunt, *nihil aliud esse jungere cum infidelibus vincula matrimonii, quam prostituere gentibus membra Christi.* Hinc ergo consuetudo Ecclesiæ, ut post Dominicum Soto in IV. dist. 39. recte animadvertit Sylvius concl. 3. in art. 1. quæstionis LIX. firmissimam legem induxit, qua matrimonium inter fidelem & infidelem contractum sit irritum; quæ utique consuetudo rationi & æquitati est maxime consentanea: ideoque cap. *Si quis Judaicæ pravitati*, petito ex Concilio Arvernensi an. 535. & cap. *Non oportet*, deprompto ex Agathensi an. 506. quæ duo capita habentur in Decreto, XXVIII. q. 1. n. 16. & 17. qui conjugali vinculo Judæis, vel hæreticis sociantur, protinus a fidelium cœtu, atque a convivio & communione Ecclesiæ sunt segregandi. Verum de Conjugiis hæreticorum agendum est paullo infra.

DE IMPEDIMENTO VIOLENTIAE, SEU COACTIONIS.

30. De impedimento violentiæ, seu coactionis.

Vis, & coactio non tantum Jure Canonico, sed etiam naturali dirimit matrimonium. Jure quidem canonico: nam id statuit Toletana III. Synodus an. 589. can. 10. Hormisdas apud Ivonem p. 8. cap. 24. Urbanus ibidem cap. 23. quæ definitiones habentur in Decreto cap. *Hoc sanctum*, XXXII. q. 2. n. 16. & capp. *De neptis*, &, *Si verum*, XXXI. q. 2. n. 1. & 3. Plures hujus generis canones extant in IV. Decretal. tit. 1.

tit. 1. sive, De sponsalibus, paullo post laudandi. His accedit Tridentina Synodus, quæ sess. XXIV. cap. 9. præcipit *omnibus cujuscunque gradus & conditionis existant*, sub anathematis pœna ipso facta incurrenda, ne aliquem cogant, quo minus libere contrahat matrimonium. Id quoque naturali jure firmari inde constat, quod conjugium faciat assensus a plena libertate proficiscens: ubi autem contractus vi, & illato metu extorquetur, consensio, & animorum conjunctio esse nequit. Sed quoniam *inter vim & vim differentia est*, ut inquit Innoc. III. cap. *De muliere*, De sponsal. n. 6. oportet distinguere violentiam, qua principio extrinsecus impellente aliquis movetur renitens omnino atque invitus; & violentiam alteram, qua metu incusso aliquis eligit, quod metu illo nequaquam peculsus minime eligeret. Ac violentia primi generis, utpote quæ ab omni deliberatione sejungitur, omnem prorsus consensum excludit. Violentia autem illa, quæ in metus incussione sita est, tunc matrimonium dirimit, quando est metus cadens in virum constantem, non autem quando metus levis est, & exilis. Metus cadens in virum constantem ille dicitur, quo vir minora, ac majora mala sibi impendentia animadvertens, ut evadat malum grave sibique imminens, puta mortem, mutilationem, exilium, infamiam, malum minus amplectitur, ut solutionem pecuniæ, bonorumque jacturam. E contra metus levis dicendus est, quando imminet minimum duntaxat incomodum, hujusque timore percitus vir inconstans, animoque imbecillis præbet assensum. Itaque metus prioris generis impedit matrimonium, non metus alter inaniter trepidantium. Censetur autem metus gravis etiam pavor ille puellarum, quæ cum parentes habeant austeros, & hi quamcunque filiorum inobedientiam severe ulciscantur, nec facile mandent oblivioni, illorum jussu & cominatione eligunt nuptias, a quibus animo abhorrent.

31. Quid de metu.

32. Alia de coactione.

Memoria hic repetenda sunt, quæ scripsimus lib. XXI. 1. persistere quidem in iis, quæ fiunt impellente metu, rationem liberi ac voluntarii: sed nihilominus contractibus ad humanam societatem institutis hanc a legibus additam conditionem, ut sint nulli si terroribus minisque fiant. Quamquam in contractibus matrimonialibus adest ratio quædam peculiaris, ob quam irriti esse debeant, quotiescunque sunt violenter extorti. Qui enim violentiam patitur, querelam movere potest apud legitimum judicem, & hujus sententia per restitutionem in integrum a vi, quam injuste patitur, reddi immunem. At conjugium, talis contractus est, qui actionem aliquam adversus illatam vim non admitteret, simul ac esset legitimus, & ex se ratus. Quare Scotus, Estius, & quidam alii Theologi in IV. Sent. dist. 29. magna probabilitate docuerunt coactionem non jure tantum humano, verum etiam naturali impedire nullumque reddere matrimonium. Videtur mihi hæc sententia esse vera, & perspicua, eamque firmari cap. *Cum locum*, De sponsal. n. 14. ubi assignatur hæc ratio, cur matrimonium solo consensu contrahatur, debeatque ille qui contrahit plena securitate gaudere, *Ne*, videlicet, *per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.* Eam ob rem statuerunt canones, ut ubi timetur, ne puellæ violentia inferatur, auctoritate judicis tuto honestoque loco detineatur: ut si in contractus stipulatione apponatur pœna, quæ solvi debeat a parte si contraveniat, improbetur stipulatio, & pars altera ab extorsione pœnæ desistat; ac præterea ut si mulier se nupturam interposito juramento firmaverit, & postea jurisjurandi religione neglecta nubere omnino detrectet, monenda potius sit, quam cogenda. Ita enim statuitur capp. *Cum locum*, *Gemma mulier*, &, *Requisivit*, præcit. tit. De sponsalibus & matrim. Quoniam tamen cum matrimonii, tum juramenti vinculum sacrosanctum & inviolabile est, ac profani etiam homines perditissimum illum censent, cui, ut satyra 13. ajebat Juvenalis,

Tam facile & pronum est, superos contemnere testes:

ideo istud Jure Canonico statutum fuit, ut si uxores reclament, se numquam in matrimonium consensisse, viri autem legitime probent contrarium, illæ non audiantur, & si juramentum futurarum nuptiarum præstiterint, ad hoc implendum omnino teneantur; prout constat ex cap. *Consultationi*, & ex cap. *Commissum*, ejusdem tituli.

Etsi autem vis & coactio matrimonium impediant; si tamen post violentiam intercedat consensus, aut si non expresso oretenus consensu, cohabitatio spontanea excludat probationem coactio-

coactionis; juxta c. *De muliere*, & c. *Ad id, quod per tuas*, conjugium per vim contractum convalescit: secus vero, si mulier invita contrahat cum aliquo, & se ab eo cognosci nullo modo permittat, prout definitur cap. *Veniens*, 13. De sponsalibus.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS, LIGAMINIS, ET HONESTATIS.

De impedimento Ordinis, ligaminis & honestatis.

33. Quum ea, quæ paullo supra dixi de Voto, spectent quoque ad impedimentum *Ordinis*, perpauca de hoc subjiciam. Itaque *minores Ordines* matrimonium non impediunt, nisi forte ratione voti, & religiosæ professionis, ut docuerunt Magnus Gregorius Epist. 31. lib. 12. & Humbertus Legatus Leonis IX. adversus Nicetam, quorum verba habentur capp. *Si quis vero*, &, *Seriatim*, dist. 32. n. 3. & 14. Idem universæ Ecclesiæ praxis, omniumque sæculorum disciplina confirmat. Impediunt ergo matrimonium contrahendum, & dirimunt postea contractum *Ordines sacri*, inter quos comprehendi etiam *Subdiaconatum* dixi præcedenti libro c. 5. & definitum est ab Alexandro III. in IV. Decret. tit. 6. cap. *Ex litterarum tuarum*, 2. Clerici quoque Græcorum, apud quos conjugium permittitur, si mulieri velint copulari jure nuptiali, id tantum permittuntur facere priusquam suscipiant ordinem *hypodiaconatus*, juxta canonem 27. Apostolicum, & 6. Trullanum, de quo cap. *Si quis eorum*, dist. 32. n. 7. Recte idcirco Tridentina Synodus sess. XXIV. can. 9. ait: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.* Apertum est, hoc Ordinis impedimentum lege Ecclesiastica inductum esse, & vim habere majorem ob votum sacris Ordinibus adnexum. Græci, quibus permissum est ante sacros Ordines uxorem unam, & virginem ducere, si post sacram ordinationem uxore mortua aliam ducant, vel si uxorem non habeant, ducere illam præsumant, constitutione *Etsi Pastoralis* BENEDICTI XIV. puniuntur excommunicatione latæ sententiæ, & ab ordine statim deponendi sunt, atque matrimonium ante recensitos Ordines contractum, nullum irritumque declaratur. Tenentur quoque juxta eamdem Constitutionem presbyteri Græci conjugati, antequam ad peragendum sacrum accedant, *per hebdomadam*, vel saltem *per triduum* ab uxoribus abstinere: quum sacros ministros deceat quammaxime continentia, juxta sacras litteras, canones, Patrum documenta, & paganorum quoque instituta, canente Tibullo:

> *Vos quoque abesse procul jubeo; discedat ab aris*
> *Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.*

Impedimentum *ligaminis* est matrimonium cum alia uxore antecedenter contractum. De hoc impedimento scribit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: *Ubi numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit. Una costa a principio in unam uxorem versa est; Et erunt, inquit, duo in carne una, non tres, neque quatuor: alioquin non duo, sed plures.* Extat in cap. *Siquidem*, XXXI. q. 1. n. 10. Huc spectant, quæ dicentur de Polygamia. Notandum hic est primo, matrimonium, quo aliud dirimitur, esse matrimonium contractum *per verba de præsenti*, sive matrimonium ratum; nam sponsalia *de futuro* solvuntur per sponsalia *de præsenti*, ut dictum est supra; secundo matrimonium ratum, sive sponsalia *de præsenti* nullum reddere subsequens matrimonium *etiam carnali copula consummatum*: quorum primum definitur cap. *Duobus modis*, De sponsa duorum; alterum vero capp. *Licet præter solitum*, &, *Tuas dudum*, eodem loco, sive IV. Decretal. tit. 4. Denique advertendum est, quod etsi leges civiles statuerint, ut uxor, cujus maritus in militiam profectus, aut alia de causa absens est, ad secundas nuptias transire valeat, post quatuor vel quinque annos, *si nullum sospitatis potuit habere indicium*, l. *Uxor*, C. de repud. & l. *Uxores* ff. eodem tit. aut postquam per alium jurejurando deponatur virum illum obiisse, dummodo annus exinde præteat, Auth. *Hodie*, C. de repud. omnino tamen mulieres junctæ viris rursus contrahere prohibentur, *donec certum nuncium de morte illorum recipiant*, sive, *donec constet quod ab hac vita migraverint*; qua certitudine habita possunt absque ampliori mora ad aliorum consortium canonice convolare, prout definivit Clemens III. cap. *In præsentia*, De sponsal. & Lucius III. cap. *Dominus*, De secundis nuptiis.

De

De impedimento *publicæ honestatis* nulla in Decreto Gratiani fit mentio. Est autem hoc impedimentum illud, quod oritur ex sponsalibus, & ex matrimonio rato, non consummato: & ideo appellatur impedimentum honestatis, propterea quod Ecclesia inhonestum & indecorum existimet, si quis matrimonium ineat cum sponsæ, vel uxoris suæ, etsi non cognitæ, consanguineis. Impedimentum istud ex sponsalibus proveniens, nullum est ubi sponsalia quacunque ratione non fuerint valida: ubi autem valida fuerint, ex definitione Trident. Concilii sess. XXIV. *primum gradum non excedit*, quum antea ad quartum usque gradum extenderetur, juxta cap. *Juvenis*, De sponsalib. n. 3. Persistit vero hoc impedimentum, etiamsi sponsalia mutuo consensu solvantur, prout teste Fagnano prope finem Coment. ad cap. *Ad audientiam*, De sponsal. 4. post maturam discussionem definivit die sexta Julii an. 1658. S. Congregatio Concilii, ac decima die ejusdem mensis Alexander VII. Congregationis definitionem confirmans. Pari ratione perseverat post mortem sponsi, vel sponsæ, propterea quod impedimentum semel contractum solius Ecclesiæ auctoritate dissolvatur: atque id colligitur etiam ex cap. *Si desponsaverit*, XXVII. q. 2. n. 11. Hoc demum publicæ honestatis impedimentum si contrahatur ob matrimonium ratum, non ad primum gradum coarctatur, sed extenditur ad quartum usque, prout definivit S. Pius V. an. 1568. in Constitut. *Ad Romanum*. Definitio itaque Tridentini Concilii spectat solummodo ad sponsalia *de futuro*, quæ propriè sponsalia sunt, stipulatio scilicet & promissio futurarum nuptiarum: quumque Tridentinum nihil innovaverit circa impedimentum ex matrimonio rato, sive ex sponsalibus *de præsenti*; consequitur induci impedimentum istud, etiamsi matrimonium ratum nullum sit quavis ratione, puta consanguinitatis, affinitatis, impotentiæ, & clandestinæ desponsationis, *dummodo non sit nullum defectu consensus*: id enim Jure Canonico decretum fuerat cap. Unico, *Ex sponsalibus*, in Sexto lib. IV. tit. 1. Secus, ut diximus, affirmandum est de sponsalibus *de futuro* reipsa nullis. Vide Fagnanum in cap. *Ad audientiam*, n. 20. Vanroy c. 4. q. 9. Theologiam Semin. Petrocorensis Vol. IV. pag. 385. ubi demonstratur quod postremo dictum est de matrimonio nullo, ex quo hoc impedimentum inducitur; in reliquis enim consentiunt Theologi, & JCC. universi.

DE IMPEDIMENTN AFFINITATIS.

34. De impedimento affinitatis.

Affinitas, de qua in præsentiarum, est propinquitatis & necessitudo, quæ oritur ex viri mulierisque commercio, & consumato concubitu, seu licitus sit iste, seu turpis atque inhonestus. Contrahitur autem affinitas inter virum & consanguineos mulieris, atque inter mulierem & consanguineos viri; non autem inter consanguineos utriusque, ut scribit Toletus, vir alioqui accuratissimus, lib. VII. Instruct. c. XI. Ut enim est in proloquio, *Affinitas non parit affinitatem*, eo quod affinitas in conjugibus consistat, in quibus sit unitas illa carnis, unde affinitas ipsa promanat. Hinc fratres vel sorores unius conjugis nullo modo affines fiunt fratrum aut sororum alterius, ac possunt inter se inire nuptiale fœdus. Hoc itaque affinitatis impedimentum requirit primùm ut sequatur concubitus; ex sponsalibus namque, sive ex matrimonio duntaxat rato *publica honestas* nascitur, non affinitas: nec trusare, & obscene urgere puellam sat est absque ulteriori effectu ad contrahendam affinitatem; cum solus nisus non inferat carnale vinculum juxta caput fin. *Adolescens*, De sponsal. & matr. Concubitus quoque, unde affinitas oritur, debet esse naturalis, ex cap. *Extraordinaria*, XXXV. q. 3. n. 11. Eamdem affinitatem contrahi etiam concubitu illicito constat ex capp. *Ex litteris*, &, *Veniens*, De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

35. Affinitas habet gradus suos, ut consanguinitas.

Habet *Affinitas* lineas, & gradus suos, eo prorsus modo, quo supra diximus de consanguinitate. Hi gradus hac ratione computantur ex Magistro dist. 41. atque ex cap. *Porro de affinitate*, XXXV. q. 5. c. 3. Cum vir & uxor sint *una caro*, unius quoque & alterius sit una propinquitas. Tanta ergo erit distantia affinitatis inter virum, & consanguineos mulieris, quanta est distantia consanguinitatis inter mulierem ipsam, ejusque consanguineos. Itaque in linea recta uxor est affinis in primo gradu cum socero, sive patre mariti; in secundo cum avo, ac ita deinceps: in linea autem laterali primus gradus affinitatis est uxoris cum fra-

fratre aut sorore viri, alter gradus cum viri nepote vel nepte. *Quocirca* (inquit Zacharias, vel Gregorius cap. *Porro*, nuper laudato) *ego & soror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus: filius vero ejus in secundo gradu erit a me: neptis verò tertio; idque utrique in ceteris agendum est successionibus.* Affinitas olim usque ad septimum gradum matrimonium impediebat, cap. *Nullum ex utroque*, XXXV. q. 2. n. 7. at definitione Tridentini Concilii sess. XXIV. c. 4. impedimentum, quod inducitur propter affinitatem fornicatione contractam, & dirimit matrimonium postea contractum, ad eos tantum restringitur, *qui in primo & secundo gradu conjunguntur.* Affinitas autem, quæ ex honesto & matrimoniali concubitu provenit, impedit connubium, sicut facit consanguinitas, usque ad quartum gradum inclusive: quod & statuitur cap. *De propinquis*, XXXV. q. 3. num. 3.

36. Ex quali affinitate privetur vir jure petendi debitum?

Si affinitas ob incestum concubitum matrimonio jam contracto superveniat, puta si vir cognoscat sororem uxoris suæ, aut hujus filiam propriamque privignam, privatur jure petendi debitum conjugale, quoadusque obtinuerit dispensationem juxta capitulum, *Transmissæ nobis*, De eo, qui cognovit consanguineam uxoris &c. non autem si comprimat consanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu; quoniam, ut dixi per definitionem Tridentini concubitus illicitus inducit impedimentum in primo tantum, atque in secundo gradu affinitatis. Hæc itaque non solvit matrimonium ratum, cui superveniat, sed impedit contrahendum, tametsi interfint sponsalia; ipsumque matrimonium, si ante dispensationem contrahatur, dirimit ac nullum reddit.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

37. De impedimento impotentiæ.

Proximum impedimentum est impotentia coeundi, quæ vel ex naturali causa proficiscitur, vel ex maleficio. De hoc impedimento prolixe agitur in IV. Decretal. tit. 15. *De frigidis & maleficiatis.* Impedimentum istud tunc adesse creditur, quando id fatetur uterque conjux, ibid. cap. *Accepisti*, n. 1. Si verò id vir asserat, neget autem mulier, viro potius fides habenda est, *quum sit ille caput mulieris*; secus autem si per inspectionem rectumque judicium assertio mulieris vera esse probetur, prout legitur in fine præcitati capituli. Hæc impotentia non statim dijudicari potest, sed comprobanda est *cohabitatione triennii*, juxta cap. *Litteræ vestræ*, eodem tit. n. 7.

Quod spectat ad naturalem impotentiam, ex parte viri adesse dicenda est, quotiescunque naturæ sit frigidæ, aut aliis de causis, quæ nobis silentio prætereundæ sunt, ad actum conjugii censeatur ineptus; dumodo ope medicorum nequeat impotentia illa juvari, prout eo loci habetur cap. *Ex litteris*, 3. necnon cap. *Requisisti*, XXXIII. q. 1. n. 2. Impotens itidem est spado τῷ διδύμῳ utroque exsectus, & qui impura tantum tentigine, non prolifico semine potest uxoriam rem exercere: de quo plura Sumus Pontifex Sixtus V. Constit. 59. *Cum frequenter*, edita an. 1587. Eadem ratio habenda est de pueris nondum ad gignendam prolem idoneis, cap. *Quod jedem*, tit. cit. n. 2. atque capp. *Attestationes*, &, *Tuæ nobis*, De desponsat. impub. Ex parte feminæ impedimentum impotentiæ oritur *ex arctatione*, cui præter divinum miraculum absque corporali periculo nequeat remedium afferri, uti habetur cap. *Fraternitatis*, De frigid. & malef. n. 6. Eidem periculo æquiparant nonnulli incisionem; negantque permulti ad hanc cogendam esse mulierem: qua in re necessum est animadvertere cujus generis incisione opus foret. Præcitato cap. *Fraternitatis*, §. *Similiter*, legitur mulierem viro cui nupserat adeo arctam, ut nunquam ab eo valuerit deflorari, posse per judicium Ecclesiasticum ab eo sejungi, & nubere alteri, cui arcta non sit: quod paucis ab hinc annis in nobilissima muliere, approbante Sede Apostolica, certum est contigisse. Hinc eruitur falsam esse opinionem illorum, qui censent, nullam dari impotentiam *respectivam*, quæ dirimat matrimonium, contendentes mulierem, quæ post separationem a priori conjuge ab alio cognoscitur, reddi etiam aptam primo viro, & debere ad illum redire, cum quo prius fœdus inierat conjugale, propterea quod, inquiunt, non est *perpetua impotentia*, quæ postea tollitur: idque statuitur cap. *Requisisti*, XXXIII. q. 1. n. 2. & cap. *Accepisti*, &, *Laudabilem*, De frigidis & malef. n. 1. & 5. Amplectitur hanc sententiam Sylvius in quæst. 58. Supplem. art. 2. q. 3. sed utut hæc opinio vera esse possit de impedimento frigiditatis, quod posterio-

ri eventu constat adfuisse, aut saltim non fuisse perpetuum, nec arte, vel tempore superandum; profectò vera non est, si loquamur de impedimento *arctationis*, quæ etiamsi perpetuum non fuerit absolute, & respectu utriusque viri perpetuum tamen erat *respective*, id est, comparate ad virum, cum quo mulier primum contraxerat, quoniam is nunquam eam deflorare potuisset: ideoque saniori judicio propugnant dari impotentiam naturalem *respectivam*, ob quam matrimonium dirimitur, Sanchez lib. 7. disp. 93. Basilius Poncius lib. 7. c. 71. & Gibertus in Corp. Juris Can. de Sacram. tit. 13. cap. 4. sect. 1.

38. Quidsi matrimonio superveniat?

Unum circa naturalem impotentiam addendum est; nempe, si hæc superveniat contracto jam matrimonio, nequaquam hoc dirimi, cap. *Hi qui*, XXXII. q. 7. num. 25. &, *Si uxorem*, XXXII. quæst. 5. n. 18. & rursus cap. *Quanto*, De divortiis, §. *Si vero*. Senes quoque tametsi ob effœtam ætatem reddantur ad conjugii actum inhabiles, debent cum uxoribus suis commorari *ad humanitatis solatium*, cap. *Nuptiarum bonum*, XXVII. q. 1. num. 41.

39. De maleficio impediente matrimonium.

Maleficium, quo impediuntur connubia, est fascinatio, cujus vi conjuges ne coire valeant divinciuntur, ut de rege Amasi Herodotus, de Sylvano Tacitus, de Theodorico Aemilius scripsere. Hanc fascinationem fieri posse virtute dæmonum nullus ignorat: unde & Ovidius lib. 3. Amor El. 7. canebat,

Quis vetat & magicam nervos torpere per artem?

Neque enim dæmonum superat facultatem efficere innumeris artibus, ut frigescant membra, nec sentiatur verminetque prurigo, si tamen id Deus permittat. Impotentia hinc orta, *perpetua* ac dirimens conjugia erit existimanda, si per experientiam triennalem adhibitis Ecclesiasticæ medicinæ remediis non potuerit sanari, juxta præcit. cap. *Laudabilem*, De frigid. & malef. Sunt autem hæc remedia peccatorum sacramentalis confessio, largiores eleemosynæ, orationes, jejunia, & exorcismi facti ab Ecclesiæ ministris: de quibus remediis legendum cap. *Si per sortiarias*, XXXIII. q. 1. num. 4. Etsi enim aliquando fascina fascinis solvuntur, quoniam dæmones ut facilius in superstitionem perducant, a nocendo sponte desistunt; nefarium tamen est ac sacrilegum hac ratione avertere maleficia: imo ineptissimum quoque istud est, infirmissimumque remedium, utpote quod non a superiori potestate vim habet, sed ab ipsius dæmonis ludificatione: qua deceptus Poëtarum quidam ajebat:

Quid prodest, quod me peregrini mater Amyntæ
Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulphure lauros?

Sed lege quæ de Magicis incantationibus diximus libro X. cap. 21.

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

40. De impedimento Raptus.

Raptus est violenta mulieris abductio ad contrahendum cum ea matrimonium, aut ad explendam libidinem. Hinc raptor dici non debet, qui cum habuerit mulieris assensum, illam a parentibus invitis abduxerit, prout ait Lucius III. cap. *Cum causam*, De raptoribus. Statuerunt hoc impedimentum etiam leges civiles, sublata omnino spe a raptore potiundi tanquam legitima conjuge, muliere rapta, tametsi accedat partium *ratihabitio*. Vide Theodosianum Codicem lib. IX. tit. 24. De raptu virginum & viduarum, & Codicem Justinian. eodem tit. Galliarum leges raptum esse censent, etiamsi puellæ prætextu matrimonii subornentur, & absque expresso parentum, vel tutorum consensu abducantur, modò non attingant vicesimum quintum annum: & raptores ulterius tam puellarum, quam puerorum, capitis pœnam subeunt. Extat de Raptu celebre edictum Blesense Henrici III. art. 42. successorum regum approbatione firmatum. Quid de raptu statuerit Jus Canonicum constat ex Causa XXXVI. q. 2. Ibidem cap. *Eos, qui rapiunt*, cap. *Si quis virginem*, & cap. *Nullus neque viduam*, raptores anathemate feriuntur: in capitulo, *Si quis non dicam*, confirmatur quod de pœna capitali habent leges quædam civiles: atque cap. *Placuit*, decernitur, ut qui rapiunt feminas vel seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniant, & accedat quoque parentum suorum consensus.

Ve-

Verùm quia non est hac in re concordissima veterum canonum auctoritas; siquidem cap. *Denique & puellæ*, permittitur habere cum voluntate parentum raptas in conjugium, idemque post pœnitentiam peractam permittit capitulum, *Si autem nedum eas*; idcirco Synodus Tridentina sess. XXIV. cap. 5. rebus omnibus accuratissimè consideratis decrevit nullum posse matrimonium consistere inter raptorem & raptam, *quamdiu ipsa manserit in potestate raptoris:* tunc eam posse a raptore in uxorem duci, quando *in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit:* raptorem nihilominus eo quoque in casu excommunicatum esse ipso jure, ac perpetua infamia notatum, omniumque dignitatum incapacem, iisdemque pœnis subjici *omnes raptori consilium, auxilium, & favorem præbentes:* si clerici hi fuerint, *de proprio gradu* dejiciendos esse; & demum mulierem raptam decenter arbitrio judicis a raptore esse dotandam, *sive illam duxerit uxorem, sive non duxerit.*

DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBUS.

41. De impedimentis impedientibus.

Sunt & impedimenta alia, quæ matrimonium non dirimunt, sed faciunt ne licite contrahatur, *impedientia* vulgo appellata: quæ hisce versibus comprehenduntur,

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum ergo est *Ecclesiæ inhibitio*; vetare enim possunt ne jungantur conjugia, tum Judex Ecclesiasticus lite circa matrimonium pendente, cap. *Tua nos*, De sponsalibus, tum Parochus si illi denuncietur aliquod impedimentum, vel hujus oriatur suspicio, cap. *Cum inhibitio*, eodem tit. Quærunt nonnulli, num si Ecclesia, ac præsertim Romanus Pontifex prohibeat ne matrimonium contrahatur, ea prohibitione irritum fiat. Qua in re videntur canones pugnare invicem: nullum quippe futurum fore, colligitur ex cap. *Ad dissolvendum*, De desponsi. impub. ratum vero, atque post pœnitentiam peractam permittendum esse, infertur ex cap. *Cum in Apostolica*, De sponsa duorum. Verum ipsa prohibitionis formula attendenda est, an scilicet illi clausula irritans insit, qua posita matrimonium utique foret nullum: atque ita facile ad concordiam prælaudata capitula revocantur. II. *Tempus feriatum* illud est, quo prohibentur nuptiarum solemnitates, nempe *ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive*, inquit Tridentinum Concilium sess. XXIV. de Reform. matrim. cap. 10. Similia in cap. *Non oportet*, ac duobus sequentibus, XXXIII. q. 4. Idem olim servabatur per tres hebdomadas ante festum S. Joannis Baptistæ, aut a prima die Rogationum usque ad octavam Pentecostes ob jejunium per id temporis servatum a multis, cap. *Capellanus*, De feriis. Cum enim nuptiarum celebritas ad voluptates animum trahat, jejuniorum, solemniumque festorum diebus plurimum adversatur. Ethnici quoque id animadverterunt; unde in 2. Fastorum,

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ.

Hæretici impedimentum istud damnant novitatis, ac *tyrannicæ superstitionis*, inscitiam, suumque Ecclesiasticæ disciplinæ contemptum commonstrantes: jam enim ab anno 364. sive ut aliis placet 357. Laodicena Synodus edidit hanc canonem num. 52. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ γάμους ἢ γενέθλια ἐπιτελεῖν, *quod non oportet in Quadragesima nuptias, vel natalia celebrare.* Coercentes ergo Tridentini Patres procacitatem illam hæreticorum inflicto anathemate, canone XI. sess. XXIV. perantiquæ traditioni adhæserunt. III. *Catechismi* nomine intelligitur ea ceremonia, qua dum supplentur in puero domi regenerato ritus baptismatis, quis susceptoris fungens munere respondet interrogationibus, quæ fiunt ante fores Ecclesiæ, & quæ fiebant olim catechumenis, priusquam unda regenerationis abluerentur. Hac enim ceremonia contrahitur spiritualis affinitas, quæ olim matrimonium impediebat: sed impedimentum istud sublatum videtur a Tridentina Synodo, ut diximus paullo supra pertractantes de cognatione spirituali. IV. *Crimen* hoc in loco intelligitur grave scelus a flagitioso homine perpetratum, propter quod illi antiqui canones vetabant contrahere cum qualibet persona, tametsi conscia non esset ejusdem criminis. Hujusmodi autem scelera erant multa, idest incestus, rap-

tus alienæ sponsæ, mors illata uxori, vel sacerdoti, propriæ prolis susceptio, matrimonium cum moniali attentatum, aliaque omnia, quæ publicæ pœnitentiæ subjiciebantur; hujus enim tempore inhibitum erat matrimonium contrahere, ut diximus de Publica pœnit. in hoc volumine pag. 213. Postquam vero pœnitentia publica abiit in desuetudinem; ea tantumodo crimina attendi solent, quæ matrimonium dirimunt, de quibus hoc eodem capite disseruimus. V. *Sponsalia* faciunt, ut matrimonium cum alia muliere initum culpa non careat, cum non sit absque promissorum violatione: illud tamen non dirimunt, quoniam vinculum conjugii, quod per *verba de præsenti* contrahitur, arctius est futurarum nuptiarum sponsione. Vide quæ diximus de impedimento *ligaminis*, & quæ *de sponsalibus* afferentur capite nono. *Votum* tandem, quod matrimonium impedit, sed non dirimit, esse votum simplex castitatis, emissum extra Societatem Jesu, ex hoc ipso capite apertum est.

CAPUT VII.

In quo agitur de Clandestinis conjugiis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit matrimonium clandestinum?
2. Ante Tridentinum fuit validum,
3. & 4. Semper tamen Ecclesia illud detestata est,
5. Potuit Tridentinum talia matrimonia declarare irrita, & bene fecit ea annullando,
6. & 7. Objectionum solutio.

1. Quid sit matrimonium clandestinum.

COnnumeravimus inter impedimenta matrimonii clandestinum conjugium; de quo hac brevi dissertatione pertractandum est singillatim. *Clandestinum* itaque dicitur, quod clam & in secreto peragitur: unde *clandestina colloquia* inquit Cicero de Senect. *clandestina consilia* VII. Belli Gall. Cæsar; *clandestinam suspicionem* Plautus Amphit. 5. Hoc in loco *matrimonium clandestinum* dicimus quod absque solemni forma præscripta a Concilio Lateranensi IV. cap. 51. & confirmata a Tridentino sess. XXIV. de Reformat. matrim. cap. 1. idest absque præmissis in Ecclesia proclamationibus, & aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahitur. Sed quoniam Tridentinum ibidem docet posse proclamationes omitti, si id Ordinarius judicaverit expedire; contractus autem matrimoniales sine Parocho & sine testibus factos, *irritos ac nullos* sacrosancta Synodus aperte declarat: hinc denunciationes præmittendæ sunt quidem, ut dicam postea, sed illarum prætermissio non est, quemadmodum Parochi ac testium absentia, ipsius matrimonii dirimens impedimentum. Quia insuper hæc clandestina conjugia facta libero contrahentium consensu fuisse rata & vera matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, initio ejusdem capitis testatur ipsa Synodus Tridentina; & aliunde non potest Ecclesia mutare quæ spectant ad sacramentorum *substantiam*, idest, *ad materiam & formam*, prout colligitur ex ipsomet Concilio sess. XXI. cap. 2. merito quæritur, an revera post illam Generalis Synodi definitionem eadem clandestina conjugia sint rata, quum in illis appareat *materia*, quæ antea sufficiens erat, videlicet, liber contrahentium consensus.

2. Ante Tridentinum fuit validum.

Dixi nonnulla de hac quæstione libro XXX. cap. 10. atque hoc ipso in quo versamur, cap. 5. Nunc eadem illustraturus primum fateor ante Tridentinam Synodum clandestina connubia rata fuisse; nam Lateranensis IV. eadem quidem improbavit, sed tamen irrita esse non definivit, neque ante Tridentinum Concilium Ecclesia unquam eadem matrimonia voluit dirimere, ut cum permultis Theologis in IV. dist. 28. §. 7. inquit Estius. Est tamen quorundam opinio, ac præsertim Gentiani Herveti in Oratione ad Tridentinum Conc. Ferdinandi Mendozæ lib. 3. de Confirm. Conc. Illib. cap. 32. & nostri Poncii lib. V. de Matrim. cap. 3. quod priscis Ecclesiæ sæculis hujusmodi clandestina conjugia irrita & nulla fuerint, sed postmodum antiquas leges in desuetudinem abiisse, adeo, ut plurium sæculorum intervallo rata & legitima fuerint, donec rursus Tridentini Patres illa prorsus illegitima & irrita esse statuerunt.